





an 223

TENTAMEN IN AVGVRALE  
DE  
**EXPLICANDO**  
**CONSENSV PARTIVM**  
**QVI NERVIS DEBET VR.**

QVOD CONSENSV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
PRAE S I D E  
PRORECTOR FRIDERICIANAE MAGNIFICO  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
D O M I N O  
**FRIDERICO CHRISTIANO IVNCKERO**  
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE ET PROFESS. PVBL. ORD.  
FACVLTATIS MEDICAЕ H. T. DECANO,  
PAEDAGOGII REGII AC ORPHANOTROPHEI HALENSIS MEDICO  
PRACTICO CONSTITVTO

PRO  
**G R A D V   D O C T O R I S**  
SOLEMNITER CONSEQUENDO  
DIE IV. MAII CID IC C CLXX.  
H. L. Q. C.  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
**CASPARVS   LVDOVICVS   CVRTIUS**  
LIPPIA - GVE STPHALVS.

---

HALAE  
LITTERIS HENDELIANIS.

CONTRARIO PARTIM  
TERRA VITRINA

GRADUS MUNDI  
CIRCUMFERENTIA

HISTORICUS HABENDUS

215 Q. TRO. V. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1.

1. 1. 1. 1. 1. 1. 1. 1.

SENI VENERANDO

MERITISSIMO AC HONORATISSIMO

PATRI SVO OPTIMO

PIE IN AETERNUM COLENDO

DOMINO

ARNOLDO CVRTIO

CONSULI LIPSTADIENSI GRAVISSIMO

C V I

OMNEM PRAETERITAM PRAESENTEM

ET

FVTVRAM RERVVM SVARVM FELICITATEM

VNLCE DEBET

PRIMVM HOC STVDIORVM SVORVM

S P E C I M E N

C V M V O T O D I V T V R N A E P R O S P E R I T A T I S

O M I T T O O V S I T A K  
C O M M U N I T A T I N G O L I N G O

S I M V L Q V E

O M I T T O D  
I N D E V O T U M O B S E Q V I V U M

D. D. D.

F I L I V S O B S E Q V E N T I S S I M V S

C A S P A R V S L V D O V I C V S C V R T I V S .



TENTAMEN IN AVGVRALE  
DE  
EXPLICANDO  
**CONSENSV PARTIVM**  
**QVI NERVIS DEBET V.R.**

§. I.

**C**ego quidem, cum ad explicandum, qui nervis insidet, consensum, animum appellerem, labore meum que dein, quem suscipere decreueram, ad ultimum, quem illustres Viri stabiliuere, Medicinae finem referrem, serio de illius utilitate dubitare coepi; atque parum absfuit, quin ea me cogitatio a sterili, ut putabam, atque ingrata disquisitione deterruisset. Quando enim, ut fert plurimorum sententia, sanitatis tam conseruatio, quam restitutio ultimus creditur, ad quem reliqui omnes collineant, Medicinae finis: sequitur, non posse umquam utile quidquam in Medicina reputari, quod non Praxin, quam medicam dicunt, illuminet. Atqui fateor omnino, non sat me perspicere, quo demum momento intellecta istius consensus

ratio Praxin medicam aut emendare, aut amplificare posset? Enim  
 uero nouisse quidem Practicum oportet, tum, *consentire partes*  
*nervorum ad miniculō*, tum etiam, *quenam sint C. H. loca, ea ratione consentientia?* Quo vero modo is consensus absoluatur, qua-  
 que interna vi dirigatur? nec scire iuuat in Praxi, nec ignorare  
 nocet. Noluit enim, quod satis notum, benignitas DEI plurima-  
 rum rerum usum scientiae humanae alligare, quae adeo est manca,  
 adeo saepe incerta, adeo, suis illecebris hominibus illudens, nocua.  
 Nonne videmus nautas, magnetismi insci, magnetica tamen  
 acu quam optime vi? Nonne pictores lucem & umbram pul-  
 cherrime temperant, licet colorum ortum naturamque sciant cum  
 ignarissimis? Et quid plura? Repertis demum Medicinae re-  
 mediis, homines de rationibus eorum differere cooperunt: nec  
 post rationem, Medicina est inuenta, sed post inuentam Medicinam,  
 ratio est quaesita (C E L S V S Libr. I. p. m. 9. 10.) Quodque imprimis  
 hoc spectat, felicissimi existere Medici in curandis his morbis, qui  
 consensu nervorum debentur, licet vel nullo modo de eius theo-  
 ria solliciti fuerint, vel eiusmodi considerint, quae falsissima erat.  
 Non possunt, credo, habita utilitatis ratione, plura et grauiora in  
 argumentum, quod tracto, momenta dici; neque forte adeo sois-  
 sem liberalis, ni vidisse, plura superesse, quae reponi possunt.  
 Atque primo quidem CELSI, elegantissimi scriptoris, auctoritate  
 vtor. Is enim postquam Medicorum de abditis morborum cau-  
 sis, vel inuestigandis vel negligendis, argumenta, in utramque  
 partem disputata, commemorauit, subiecit demum ea, quae pro-  
 xima vero videntur ipsi, neque addicta alterutri opinioni, neque  
 ab utraque nimium abhorrentia, sed media quodammodo inter  
 diuersas sententias. Atque hac occasione (I. c. pag. 13.) empiricis dicit  
 haec: *Quamquam multa sint, ad ipsas artes proprie non pertin-  
 entia, tamen eas adiuvant, excitando artificis ingenium.* Itaque ista  
 quoque naturae rerum contemplatio, quamvis non faciat medicum,  
 aptiorem tamen medicinae reddit. Profecto verisimile est, &  
 HIPPOCRATEM & ERASISTRATVM & quicunque alii, non  
 cor.

contenti febres & vlcera agitare, rerum quoque naturam ex aliqua  
 parte scrutati sunt, non ideo quidem medicos fuisse, verum ideo  
 quoque maiores medicos extitisse. Quodsi iam naturae contemplatio  
 adeo est Medico utilis: ea cerre, quae proprius ad Medicinam spe-  
 ctat, corporis nempe humani eiusque conditionum inuestigatio,  
 longe ipsi maiorem utilitatem adferat necesse erit. — Perpendi  
 dein, eximios quosdam Practicos, quos inter HOFFMANNVM  
 tantum & merito laudatum Rob. W H Y T T nominare liceat, in ex-  
 plicando eo nervorum consensu, multos fuisse, eiusque rationem  
 non iudicasse disquisitione indignam — . Obseruaui porro, reuocans  
 paulisper summa theoriae medicae capita in memoriam, innu-  
 mera in illa rerum exempla existare, quae, quamvis a Praxi me-  
 dica satis distent, subtiliori tamen indagatione censemur digna. Sit  
 mihi is magnus Apollo, qui ostendit, qua demum ratione subti-  
 lisimae illae, de fluido nervoso, actione tam nervorum, quam  
 muscularum, secretionibus, generatione caeterisque huius farinae  
 rebus, quaestiones ad feliciorem quidquam conferant Praxin? Cae  
 etiam, existimes, haec in Physiologia tantum occurtere, Patholo-  
 giam iisdem esse immunem atque eiusmodi tantum doctrinis refer-  
 tam, quae in Praxi summae sine utilitatibus. Dic, amabo, num (vt  
 tantum exemplo utr) febris inflammatoria melius curetur, si effen-  
 tia verae inflammationis omni ex parte intelligatur? Methodus  
 inflammationibus veris medendi vna eademque manet siue B O E R-  
 H A A V I I theoria valeat, siue H A L L E R I iudicetur vera, siue de-  
 dum ea proberur, quae media sit inter utramque. Sunt, qui pleu-  
 ritidis sedem in pulmones reiiciunt, alii musculos intercostales ac-  
 cusant, nonnulli pleuram ipsam. Quae, licet per multas paginas,  
 perque magnae contentionis disputationes tractentur, pleuritidis  
 tamen curationem non mutant. — Nouissime cogitationi meae  
 subiit hoc. Scientias artesque, quas genus dein humanum exc-  
 lutit, necessitas inuenit. Cui postquam satisfactum, pulchritudini  
 operum aliisque finibus, extra durae necessitatis teli iactum positis,  
 locus patuit. Atque haec quidem eius sunt indolis, vt neminem

fu-

fugiant, perque ea constent, quae res inter homines gestae edocent. Nunc, cum sanitate vitaque nil dulcius sit, morborum atrocia mortisque frequentia Medicinam genuit. Pressi eadem, quam dixi, necessitate homines medicam excoluere artem, eamque ad fastigium perduxere, quo omnino potest superbire, licet id sumnum salutari nequeat. Magna itaque ex parte necessitatibus isti satisfactum, quaeque restant non tanti certe sunt, ut ne possint sibi Medici plures fines proponere. Ob quam causam factum, ut, superatis grauioribus difficultatibus, de theoria excolenda cogitarent Medici, atque is, qui medelam tantum morborum primum curabat, Physicam nunc C. H. tradat; fontes e quibus C. H. mutationes deriuari possunt, aperiat, aut aperire saltim studeat, omnemque, quod capit in inquirendo C. H. cognitio nostra augmentum, ad finem Medicinae referat.

## §. II.

### *Consensus partium quid?*

Propius iam ad tractandam materiem accedens: a generali consensus, quem Medicus perquirit, idea ordinar. Attenti ergo ad id, quod usus hic edocet, obseruamus 1) numquam vni istum parti tribui, sed pluribus, siue duae nunc fuerint, siue adhuc plures. Sic ventriculum, pulmones, cerebrum, intestina secum ipsis consentire, numquam auditur; at renes cum intestinis, ventriculum cum corde, pulmones cum cerebro consentire, dictiones sunt, quae frequentissime occurrent. Ergo consensus ponit *partes diversas*, aque se inuicem *remotas*; 2) requiri ad consensum, ut partes, quas inter obtiner, mutua sibi ratione conditiones quasdam aut vere inferant, aut inferre possint. Quando calculus renes irritat: cardialgiā colicamque inde obseruare contingit. Quod si iterum, sub mali hypochondriaci paroxysmo, primae viae a spastico patiuntur: tenuis deprehendi solet vrina, spastici, renes infestantis, signum. Atque dicunt ideo, renes inter & primas vias consensum obtinere. Nonne vero hic partes quaedam diversae  
aque

aque se inuicem remotae conditiones quasdam, mutua sibi ratione,  
inferunt? Idque in reliquis quoque exemplis, quae de consensu  
partium adferri possent, comperitur. Duo tamen sunt, quae ob-  
seruanda hic veniunt. *Primo* conditiones istae, quas sibi inferunt  
consentientes partes, tam *naturales* quam *praeternaturales*, neque  
minus *similes* sibi *dissimilesque esse* possunt. Quod prius attinet:  
non ignoro quidem, multos Medicos solere, ad statum morbosum  
solummodo, partium consensum referre, seducti forsitan *vel* sym-  
pathiae voce, qua *compasso* indigitantur, quoque non raro ad signi-  
ficandum consensum vntuntur, *vel* eo, quod non solum plurima  
consensu exempla a statu morbo desumuntur, sed consensus eti-  
am multo in morbis clarior, quam sub sanitate, appareat. Non  
tanti vero haec sunt, vt iis me de mea defici patiar sententia. Enim  
nemo quod a sympathiae nomine repetitur argumentum, nimis  
forte est indigum. Ut enim de eo nil dicam, quod Medicum non  
debeat, vocabulis nimium inhaerere, exque iis res significandas  
determinandas que, sine mora, dijudicare, vtque etiam id omittam,  
quod *pax* saepe saepius ad ea applicetur, quae nos *bene afficiunt*,  
gaudii exemplo: notandum erit, sympathiam quidem non raro duo-  
bus pluribusque adscribi, quibus, ex incognita caussa, ideo male  
est, quod alteri internum accidit aut imminet malum, saepe ta-  
men tunc etiam dici obtinere, vbi aut vtrique, in sympathia consti-  
tuto, bene est, aut vni tantum, altero interea male affecto. Nonne  
enim gaudio disfluentibus sympathiam quandoque tribuimus? Non-  
ne curationes, quibus a sympathia nomen datum, saepe sic per-  
ficiuntur, vt vnu eorum, quos inter sympathia intercedit, in tan-  
tum curetur, in quantum alter male se habere incipit? — Grauius  
alterum est, quod ad fertur, argumentum. Negari omnino nequit,  
clarius multo consensum partium in morbis eluescere, quam in  
sanu corporis statu, idque ideo, quod in perfecta sanitate omnes  
partes sanae sunt, neque ergo dici accurate potest, cuinam inter  
eas sanitas vnius debeatur? Non licebit tamen ideo, partibus,  
vel in sanissimo earum statu, consensum denegare. Cum enim, in

B

con-

consensu sanarum partium, nil contingatur, quod a sana ratione abhorret; cum etiam allata, quae contrarium suadere iudicatur, ratio aperte insufficiens sit; cum denique partes nequeant in morbis consentire, ni sanæ etiam in se inuicem agant mutuo: non video sane, quid obstet, quo minus naturalis quoque conditio, quam in alia consentiens pars producit, ad consensum referatur? Praeterea non negabunt Medici, consensum partium mirum quantum posse remediorum actionem promouere; & tamen mutatio, quam bene electa medicamenta inferunt, nequit proprie morbosæ dici. Accedit quoque, quod Medici quandoque, in explicandis phænomenis occupati, ad consensum prouocent, ubi mutatio modo vni parti, modo viruque illata, nequit recte praeternaturalis vocari. Sic si in grauida obseruetur, illam insolita appetere, sueta naufragare &c. ea quidem ex consensu uteri cum ventriculo explicari solent. Non poterit vero illa certe mutatio, quae eo tempore, quo illa conspicuntur, utero accidit, morbosæ nuncupari. Mitto iam plura, quae ea de re dici possent \*). Restat ut ostendam, conditiones, quae consensi debentur, modo *similes* esse, modo *dissimiles*. Docent id exempla. Sic spasmī primarum viarum efficiunt palpitationes cordis, tenues vrinas, spasmus in cutē, epilepsiam &c. qui morbi omnes respondent spasmō, in primis viis enato. Quandoque tamen paralysēs etiam inde producuntur, prout id colica Pictonum ostendit; paralysis vero spasmō e diametro est opposita. — Dixi etiam apposite: consentientes partes sibi conditiones quasdam *inferre*, aut *inferre posse*. Est enim ex obseruatis manifestum, consentientes partes *non semper* sese mutuo, in quouis statu, mutare. Sic pedes cum intestinis consentiunt; non quaevis tamen intestinorum mutatio actutum pedes quoque mutat. — 3) partes consentientes semper esse *solidas*, sive nunc simplicissimae sint, sive plus minusue compositae. Numquam auditur, sanguinem, serum, lympham, adipem, fluidum nerueum &c. secum  
con-

\* ) Hinc consensus diuisio in consensum *actionum* & *passionum* enata, vid.  
REGAE tract. de Sympathia Cap. 1.

consentire, licet quodlibet eorum alterum mutare possit. At in fibrillas musculares, nervos, pulmones, reliquasque partes *solidas* consensus cadit. 4) Opus esse, ut ea conditio, quae parti cuidam infertur, *propius* ab illa pendeat, quae alteri parti consentienti inest. Sic irritatus ventriculus cutis spasmus infert, isque ex consensu oriri dicitur, cum propius ab irritatione ventriculi originem suam sumat. Quando is vero spasmus, in cute enatus, calorem, sudorem, debilitatem cutis efficit: haec mutationes consensu ventriculi cum cute dari nequeunt; *remotiores* enim sunt illius effectus. 5) Neque debere eiusmodi conditiones, quas generat partium consensus, a solo earum *simplici nexu*<sup>\*)</sup> atque *vi mere mechanica* pendere. Sic tractio duodenii, ab inuerso ventriculi motu producta, non potest satis bene ad consensum referri, cum ex simplici tantum nexus oriatur. Sic etiam ventriculus, ab aere mirum in modum expansus, descendens diaphragmatis impedit; eiusmodi autem huius musculi laesio male in consensum eius cum ventriculo reicitur; vis enim mechanica unica hic est afflicti diaphragmatica caussa. Cooperari quidem possunt praedictae caussae, quando consensus has illasue mutationes infert; numquam tamen unicam debent mutationum, per consensum excitatarum, caussam in se continere. 6) Ortas ex consensu conditiones semper *manifestas* esse. Quae enim sensus nec aegri, nec Medici & adstantium incurunt, in considerando partium consensu, omitti queunt, licet iisdem manifestae debeat demum adscribi. Atque ex his nunc, arbitror, vera poterit consensus partium, qui a Medicis consideratur, definitio erui. Est nempe *Consensus partium praedicatum*, solidis partibus ideo tribendum, quod conditio unius proprius valet conditionem in alia producere, quae nec soli simplici earum nexui, nec vi mere mechanicae debetur. Partes itaque *consentiantur*, in quantum mutuus inter eas consensus deprehenditur; vocantur ideo *consentientes*,

<sup>\*)</sup> Simplex *nexus* mihi dicitur is, qui per vasa, fibras, cellularem, membranas, nervorum propagationem nascitur.

tes, prout illatae ex consensu conditiones *sympathicae* dicuntur \*).

### §. III.

#### *Consentient partes nervorum auxilio.*

Atque huius consensus varia dantur media, quae inter, sive numerum sive magnitudinem sympatheticarum mutationum species, fibrae musculares atque nerui primas tenent. Missis autem reliquis, a pluribus iam copiosius disputatis, eum paulo exactius considero partium consensum, qui nervis tribui debet. Qua quidem in re vix opus est, ut veritas eiusmodi consensus comprobetur. Quodsi enim Medicinae partes vel per transennam tantum adspiceris: innumera deprehendes tam curationum sympatheticarum, a nervis proficiscientium; exempla, quam paralygium, spasmorum, dolorum &c. ex eodem fonte scaturientium, specimina. In tanto eorum numero, qui eo de consensu dixerunt, paucos nominabo, apud quos & plura & specialiora eius exempla videri possunt \*\*). Eumque consensum adeo fere ad unum omnes probant, ut fuerint etiam, qui ad nervos omnem reuocauerint sympathiam \*\*\*); quod quidem nec in dubium hic voco, nec albo calculo noto.

### §. IV.

\*) Non dubito, fore plerosque, 'quibus haec, quam dixi, consensus definitio nimis artis circumscripta limitibus videatur. Neque instituti ratio permitit, ut per plura eam momenta defendam. Stet itaque sua unicicumque sententia. Facile autem patet, hunc, quem descripsi, consensum difficultatibus premi, certe non eum, qui ab aliis vasis sanguiferis, fibris, cellulari, membranis, inter se connexis, adscribirur. Praeterea Rob. WHYTT iam negavit, sympathiam partium cellulari & vasibus sanguiferis connexis recte tribui posse (Von den Nervenzufällen, pag. 25).

\*\*) REGAE tr. cit. WHYTT Betrachtungen über die Natur, Ursachen und Heilung der Krankh. die man gemeinlich Nerven-, hypoch. und hyster. Zustände nennen. I Capit. HALLER Element. Physiol. Tom. IV. p. 320 sqq. 334 seq.

\*\*\*) WHYTT l. c. pag. 28.

## §. IV.

*Dificultates in eo consensu explicando.*

Quo vero clarior consensus neruorum elucescit: eo difficilius eius ratio euoluitur. Paene cimmeriae sunt, quibus ea inuoluitur, tenebrae. Tria imprimis momenta illi insunt, quae omnem fere videntur explicationem fugere, quaeque numquam forsitan ad euidentem certitudinem, in quolibet singulari casu, euehi poterunt. Atque primo non satis exploratum est: num nervi consentientes *immediate* in se inuicem agant, aut *mediante* demum *sensorio communis*? Ergo, ut in exemplo res clarior fiat, si ab irritamento, naribus applicato, sternutatio oriatur: quaeritur, num ea a connexione nervorum, ad nares tendentium, cum nervis, dia phragma mouentibus, proueniat, aut potius sic explicari debeat, ut ab irritatione narium, propagata ad cerebrum, sensorium prius commune, perque id diaphragmatis demum irritentur nervi? Neutrum a veritatis specie plane alienum est; utraque etiam sententia suos est fautores nacta. — Dein structura nervorum, comparata cum illo, quem dico, consensu, nouam adiicit difficultatem. Fibræ enim, e quibus nervi constant, sunt rectæ, sibi parallelæ & similes, nusquam (si a gangliis recesseris) confusæ, nusquam ramosæ, sed ab ipso cerebro, aut a spinali medulla, ad finum usque finem distinætae, ut non plures in fine sint, quam in principio; quamlibet earum tenuissima membranula cingit, similis etiam earum fasciculum ambit \*). Nunc, cum actio in distans judicetur impossibilis, nulla videtur reddi posse ratio, quare, irritationis quibusdam fibrillis, totus irritetur nervus, & quare, si unus e nervis agitur, alii quoque, cum eo non connexi, aut in motum abripiantur, aut alio modo mutantur? — Denique concipere non facile licet, quare nervorum consensus dissitas saepe regiones afficiat, intermedias vero intactas quasi relinquat? Sic vermes na res irritant; oesophagum, pharyngem minus —

## B 3

## §. V.

\* ) HALLER I.c.p.188. MONROI tract. de nervis, motu cordis, duct. thor. pag. 5. seq.

## §. V.

*Momenta hic attendenda,*

## I. Mens humana.

Non id mihi sumo, vt me has omnes tenebras dispellere posse, credam; sufficiet, in tanta rei tractandae obscuritate, non nulla afferre, quae, paullo exactius isti consensui enodando, inferuiunt. Qua quidem in re nouisse primo oportet momenta, hic attendenda. Quamquam enim, quem tractamus, consensus nervis debetur, aque naturali, immixta, aucta & alienata nervorum vi demum proficiscitur: atramen alia adhuc sunt, quae proprius vel nervos ipsos, in consensu constitutos, mutant, vel a nervis sympatheticis mutantur sic, vt proximiores conditionum sympathicarum caussae euadant. Atque illa nunc inuestigabimus, initium capturi ab anima humana. Notum est, nervos, sensui inservientes, animam diversimode mutare; hanc mutationem mentis efficiere, vt non solum sensorium commune, multiplici iterum ratione, afficiatur, sed singulares etiam perire, pro ea, quae DEVS & menti, & corpori praescripsit, lege, illius vim experiantur atque imperium. Quod si applicetur ad consensum, quem nervi inter se alunt, non poterit non ostendere, mentis hic quandoque rationem habendam esse. Patebit id eo magis, si consideraueris  $\alpha$ ) quandoque, vel in ipso statu naturali, consensum, qui nervis tribuitur, animae simul adscribi debere. Sic ab aucto appetitu aut aspectu cibi, qui ad palatum est, maior oritur salivae ad os affluxus; cuius quidem rationem recte a nervis repetunt eorumque consensu; nisi vero animam natamque in ea ideam simul respicias: vix sobriam poteris huius phaenomeni rationem adferre. Quod si enim velis mechanismum vnicce attendere: ratio reddi non poterit, quare glandulae tantum salivales, non aliae partes, quibuscum ventriculus alias consentit, afficiantur? Quapropter contra ea mentis ratio habetur: omnia sunt clariora. Praedicta nempe sensatio excitat ideam certae conditionis in anima; mens humana, caeco

caeco tantum impulsu mota, reagit in corpus eiusque nervos sic, ut ei praeprimis, ex lege *divina*, adficiantur, quos inter & natam in mente idem conspiratio quaedam intercedit. Nunc vero glandularum inter salivarium secretionem & appetitum quaedam quasi cognitio obinet. Quam autem similitudinem, cognitionem aut conspirationem fingere tibi poteris inter appetentiam ad cibos & actionem, quam pedes, manus, renes aliaque, alias cum ventriculo consentientia loca, perficiunt? Nullam omnino. Quare, in eo casu, nervi potius glandularum salivarium aut vasorum, quae radiae illae sunt, quam reliquarum partium in consensu trahantur necesse erit.  $\beta$ ) Nonnumquam etiam, mediante anima, consensus nervorum in morbis operatur - . Si quis rem, ipsi nauseam aut visu, aut odoratu, aut gustu percipit: vomitum concipere solet. Hunc vomitum non poteris mechanico, ut ita dicam, nervorum consensu dare, cum videoas eandem rem, si alteri aut adiaphora sit, aut maxime ad palatum, satis in eo dissimilem effetum, aut nullum producere. Praeterea, in eo exemplo, manifesto obseruamus, gradum vomitus, a re nauseosa excitati, non actionem quidem rei nauseosae in nervos oculorum, linguae &c. sequi (potest enim vel a sola representatione, in anima facta, oriri), sed potius ideae respondere, quam anima patitur. Quo enim haec viuidior: eo facilior, eo grauior evadit vomitus. Quod si nunc mentem in auxilium vocas: veram habebis huius phaenomeni rationem. Res nempe nauseosa excitat in anima idem, quacum horror eiusdem coniunctus est; ista idea mutat corporis nervos, atque inter eos hos, qui quandam habent ad rem nauseosam respectum, quorsum ventriculi nervi perirent - . Prout anima in morbis sympathicis actionem nervorum nonnumquam intendit, quod allatum exemplum ostendit: sic quandoque eam etiam deprimit. Luculentum exemplum praebet lipothymia a titillatione nervorum enata. Consensus certe nervorum, mechanica quadam ratione, operari hic nequit, cum longe grauiores quandoque oriuntur nervorum, qui pedes, manus &c. adeunt, irritationes, quas

tamen

tamen animi deliquium non excipit. Voluptuosa ergo idea, cum excedat, veram in se continebit prostratae tunc neruorum actionis caussam - . Denique *alienata* sensatio, si sympathica fuerit, animae quandoque debetur. Docent id pica & malacia, in graduis obseruatae. Quamcumque enim hic, in nervis productam, corpoream mutationem concipiās: ea tamen animam prius mutabit, quam insolitus queat appetitus enasci. Nausea quoque, quam animae mox tribuimus, saepe saepius nihil aliud, quam alienatam sensationem, sifit - . γ) Non adeo rarum est, quando anima curationes sympathicas praefat. Si dulces aëris tremores, quos ars musica excitat, morbos curarunt \*): maxima certe harum curationum pars ad animam reddit. Nouimus etiam, quosdam nervorum morbos curari, quando dolorifica caussa vni adPLICatur parti; quo in casu quidem sympathia nervorum operatur, sed mediante demum anima, vt pote quae doloris effectum auget, facilitat. Illustrari haec possunt per ea, quae de curatis, per terrorēm aliaque animi pathemata, nervorum morbis obseruationes frequentissime docent - . δ) Denique anima quandoque impedit, quo minus sympathicae quaedam conditiones orientur, alias per nervos excitandae. Manifestum exemplum praebet tussis, quam HALLER vs in brutis producere non nisi rarissime potuit, licet asperam eorum arteriam potenter irritauerit \*\*). Pater ergo ex dictis 1) animam quandoque in sympathia nervorum, siue nunc naturalis sit, siue praeternaturalis, siue demum in remediorum operatione conspicua, concurrere. 2) Intelligi saepe ex eius natura & commercio cum corpore humano, quare a sympatheticis conditionibus modo haec, modo illae partes adficiantur. Atque ideo 3) hunc consensum, quod Medicinam spectat, nullis difficultatibus, quae insuperabiles dici possent, premi \*\*\*).

## §. VI.

\*) WHYTT I.c pag. 8. HEYERMANN Vermischte Bemerkungen und Untersuchung, der ausländenden Arzneiwissenschaft. Erst. B. pag. 29.

\*\*) HALLER Elem. Physiol. Tom. III. pag. 301.

\*\*\*) Apposite dixi: *quod Medicinam spectat*. Omnino enim hisce insunt, quae

§. VI.

II. Vasa sanguifera.

Sed egregie errant, qui omnem neruorum sympathiam vnic  
ad animam referunt \*); obseruantur potius consensus partium, qui  
*vel* soli mechanismo, *vel* animae quidem, sed non omni ex parte,  
tribui possunt. *Vasa sanguifera* multum hic valent; qua quidem  
de re nemo dubitabit, qui sumnum illud neruorum in vasa san-  
guifera horumque iterum in neruos imperium considerat. Liceat  
nonnulla tantum exempla adferre. Iridis, ab illapsu luminis, con-  
tractionem consensu quidem retinae cum iride tribuunt, ut tamen  
propius eam a mutatione vasorum sanguiferorum repeatant \*\*). Li-  
pothythmia, quae cardialgiam saeuam comitatur, magna ex parte,  
debetur vasis sanguiferis, quae a spasmo tunc valide constringun-  
tur, ut sanguis a corde *vel* recipi, *vel* propelli recte non possit.  
Paralysis, quae Pistonum colicam sequitur, non minus vasis san-  
guiferis dari ex parte debet \*\*\*). Quando in summa cephalgia  
nec

quae difficultatem parvunt, sed Philosophus relinquenda. — Quando  
ceterum anima sympathicas excitat conditiones: in his explicandis num-  
quam facile coecus ille, quem deus animae impressit, instinctus omitti de-  
bet. Eo enim sit, ut non solum certae indolis conditiones sympathicae  
orientur, sed variae etiam partes adsciantur. Indidit feliciter deus natura-  
lem istum impetum menti, ut in salutem corporis agere queat; atque  
ea in re, propius ad bruta homo accedit, quibus vero & plures &  
maiores impetus naturales insiti sunt, cum illis, ratione destituta, magis  
indigent. Atque ex hac mentis conditione, qua si excitetur in fa-  
luteum corporis agere amittitur, quodammodo nonnulli sympathici affe-  
ctus explicari possunt, licet, quod alios spectar, non levius superesse  
difficultas obsernetur. Clarius haec intelligentur, quando lectoribus  
placuerit elegantem Celeb. b. m. REIMARI libellum von den Trieben  
der Thiere, perlegere. Vid. etiam WHYTT l. c. pag. 54.

\* ) Vid. HALLER Elem. Physiol. Tom. IV. pag. 321.

\*\*) WHYTT l. c. pag. 13. HALLER l. c. Tom. V. pag. 376. seq.

\*\*\*) Illustr. BOEHMERI Dissert. de Paresi ex Colica.

nec lucis radii, nec aëris tremores perferri possunt, quod ad sympathiam refert W H Y T T (l. c. pag. 12.), id equidem, plurimis in casibus, ex congesto sanguine, hincque tensis fibrillis nerueis, explicandum esse censeo. Multum etiam valent vasa sanguifera in perficiendis sympatheticis quibusdam curationibus. Sic, si nares in homine, quem lipothymia corripuit, ab applicatis spirituosis, volatilebus irritantur, vasa sanguifera a neruis irritatis adficiuntur, reddit inde circulus sanguinis & vita. Atque ex his & similibus intelligitur, 1) in explicando consensu partium, qui neruis tribuitur, vasorum quandoque sanguiferorum rationem habendam esse; 2) posse exinde tam sympatheticam conditionem, quam loca adficienda quandoque cognosci. Nam nexus partium & gradus illius affectionis, quae parti, a qua sympathia proficiscitur, inhaeret, multum hic lucis affundunt; 3) hinc, generatim re spectata, eiusmodi iterum hic momenta occurrere, quae nullis difficultatibus subiecta sunt.

### §. VII.

#### III. Functio et natura partium, mediantibus neruis consentientium.

Functio & natura partium, mediantibus neruis consentientium, non minus consensu rationem illuminant. Quae enim, si considerantur, quandoque docent 1) quare haec illae sympathica conditio oriatur? Quod nausea, quod vomitus a sympathia oriri queat, singulari id ventriculi functioni & naturae debetur. 2) Quare haec illae pars in consensu trahatur? Atque hic duo maxime momenta attentionem merentur: *a) Copia neruorum.* Quo enim plures & maiores nerui loco cuidam insunt: eo frequentius, facilius, grauiusque sympathice a neruis affici potest. Qua in re forsitan ratio latet, quare cerebrum & ventriculus, in tot morbis, patiantur? *b) Conspiratio partium ad unam functionem.* Facile enim patet, quod, quando partes aliunde iam connexae sunt, sympathia eo quidem facilius mutua debeat inter eas obtinere. Ut enim opifices, in aedificanda domo occupati, adeo arctum, inter se inui-

inuicem, nexus alunt, ut non facile possit unus vitium committere, quin alterius etiam labor impediatur: sic partes quoque corporis, ad vnam functionem conspirantes, mutuo se se adficiunt. Hinc tussis, ab irritata aspera arteria, non minus oritur, quam ab irritato diaphragmate; hinc irritatis faucibus oritur nausea; hincque forte simul fit, vt calculus renalis & vesicam, et vrethram adficiat. *Universalis*, quam obseruamus, *sympathia* partium non minus hinc consequitur. Conferatur w H Y T T l. c. pag. 8 seq.

### §. VIII.

#### IV. Dispositio subiecti singularis aut morbosae, aut sanae.

Vt in omni mutatione, quae corpori humano accidit, dispositio multum valet: sic magni eriam momenti exsistit in ea, quam tractamus, sympathia. Missa iam facta illa dispositione, quae *cui libet* homini insita est: de *singulari* tantum ostendam, quantum ea debeat, in explicando isto consensu, considerari. Quodsi nempe ea bene intelligatur: poterit quandoque exinde patere 1) quare haec illa pars sympathetice afficiatur? Spectant hoc exempla, quae adducit w H Y T T l. c. pag. 60. seq. 2) Quare haec illa pars conditio sympathica enascatur? Sic in his, quibus vomitus solemnis est, facilis a sympathia quoque ea evacuatio contingit. Inde etiam fit, vt volatilia quedam corpora, naribus applicata, modo hunc, modo illum effectum producant, quod vix accurate explicabis, si, neglecta subiectorum idiosyncrasia, naturam applicatorum corporum solum respicias. Mitto iam plura exempla, cum res facilis sit, atque a nemine in dubium vocari queat. Quamuis etiam ratio huius dispositionis eiusque orrus ea saepe ratione lateat, vt vel plane non, vel difficillime erui queat: ea tamen difficultas, cum in aliis etiam istius dispositionis exemplis occurrat, nec in his solum, quae neruorum consensum respiciunt, huius rationem inire nec possunt, nec debent.

### C 2

### §. IX.

## §. IX.

V. Nerui.

Atque ex his (§. V-VIII.) multa possimus sympathiae, a nervis prouenientis, exempla satis bene explicata sistere. Supereft autem difficultimum momentum. Observamus feliciter conditiones quasdam, quae sympathicae non solum habentur, sed nervis etiam tribuuntur, quas tamen adducta (§§. citt.) aut plane non, aut insufficienter illuminant. Sic opium aut ventriculo, aut intestino recto inditum, sine mora & hominem, & bruta ea ratione afficit, ut partes primum nonnullae sensibiles, dein omnes nervi torpeant, mutentur (W H Y T T L E pag. 60. seq.). Materia putrida, ventriculo inhaerens atque ibi immota, vniuersalem torporem, quandoque lipothymiam infert; viscida autem, ibi stagnans, colluvies innumeros morbos, sympathiae tribuendos, producit, epilepsiam, tussim conuulsuam, febres intermitentes, cephalalgiam &c. Quodsi nunc praedicta (§§. citt.) referantur ad haec innumeraque similia: facile deprehendes, supereft, in explicando partium consensu, in quantum a nervis pender, quae nondum dilucidata sunt, nunc ideo paullo exactius consideranda. Sed possunt haec omnia ad *nervos* ipsos, in sympathia constitutos, reuocari. Quare de his nunc differendum, docendumque, 1) quam quidem ob causam considerari hic debeant; et 2) qua ratione agant, quando sympathicas inferunt conditions -. Quod vero prius attinet: id quidem facile patet. Namque α) quae §§. citt. dicta sunt aut nullam sympathiam efficiunt, aut certe non eam, quae nervis debetur, nisi nervi simul affecti sint - β) quo plures, quo maiores nervi parti cuidam insunt: eo faciliores in ea sunt atque frequenter conditions sympathicae (§. VII.). γ) nervi ostendunt quandoque, quare haec potius, quam illa loca in consensum trahantur, & quam ob caussam, hic potius, quam aliis sympathicus affectus oriatur? Quod quidem ex his, quae protinus dicam, clarius elucescat. δ) Quandoque caussa sympathiae ad *nervos* vnicore reddit (conf. §. seq.).

## §. X.

## §. X.

*Actio neruorum, in sympathia constitutorum.*

Difficillimum nunc locum explicare aggredior. Quaeritur nempe: qua ratione fiat, ut mutatio, vni neruo aut fibrillae nervae illata, mutet alios neruos fibrillasque, praesente licet ea conditione, quam in superioribus adduximus (§. IV. n. 2.) -? Quando aut anima humana (§. VI.) aut vasa sanguifera (§. VII.) aut conspiratio ad unam actionem, aut demum similitudo functionis (§. VIII.) concurrunt atque cooperantur: nil quidem videtur faciliorem admittere explicationem. Quodsi vero solis neruis tribui sympathia debet: ea etiam quaestione nil erit difficilis. Tentabimus ergo quid ferre humeri valeant -. Occurrunt hic attento ad obseruata exempla huius consensus, quae *resorptio* *materiae cuiusdam* adscribi possunt. Quando opium, vel quibusdam tantum neruis applicatum, languorem efficit; quando putrida materia, ventriculo inhaerens, lipothymiam producit; quando vinum, in ore volutatum, aut inebriat, aut roborat; quando generatim volatilis quedam materia, vni parti illata, vel omnia, vel plura systematis nervosi loca mutat: satis mihi manifesto videtur apparere, resorptionem eiusmodi materiei sympathiae caussam existere. Quae enim ubique obvia sunt vasa absorbentia, resumunt volatilem istam materiam, cumque etiam pateant in cellularem, quae nerveas fibrillas coniungit, atque cellulae praedictae telae inter se conspirent: fieri sic potest, ut eiusmodi materia ad plures perforatur neruos, easque diuersimode mutet -. Quid vero dicendum, quando resorption, quam diximus, non obtinet? Videmus, viscidam materiam, vermes aliaque, in quae aut resorptio non cadit, aut certe non sic, ut ipsi consensus tribui queat, non minus, quam ista absorpta, sympathice partes afficer. Qua quæsio hic ratione unus e neruis alterum: in consensum rapit? Cum eiusmodi neruorum consensus in dubium trahi nequeat, tot obseruationibus confirmatus; cum etiam ea quae l. c. de structura neruorum diximus, negari non

\* \* \*

possint: sequitur, *vel* neruos consentientes, quodam in loco, coniungi, *vel* propositionem, quae hanc parit difficultatem, quaque *actionem in distans* reicit, esse falsam, aque veritate alienam, *vel* aliud quid adesse, licet incognitum, quod ab uno primum sympathicorum neruorum mutetur, inque alterum dein eorum agat, cumque eo conditionem illius communicet. Quod *hoc* vero spectat: cum Medicum non deceat, ad obscura, incognita, nullo modo declaranda occultasque qualitates prouocare, eius quidem rationem non habebo. Neque *istud*, quod primo loco posui, assimi potest, cum declaratae neruorum structurae aduersetur (§. IV.). Caevo quoque existimes, istam neruorum coniunctionem atque confusionem in gangliis forte contingere. Dantur enim (plura argumenta mitto \*) nerui sympathici, qui nullum ganglion naesti sunt \*\*). Restat ergo, vt afferatur, neruos hic consentientes, *actionem in distans patrantes*, alios afficere. Certe non ausus fuissim, actionem in distans, a tot Philosophis & Medicis in dubium vocatam, profiteri, nisi magni nominis Virum \*\*\* nominare possem, cui eadem defendere placuit. Plura sunt interea argumenta, quae, ad eam probandam, afferri possunt. Actio spirituum in se inuicem, non omnino neganda; actio animae in corpus, certe non contactui danda; mutatio foetus a matre, quandoque saltim admittenda; vis demum attractrix ipsa documento esse possunt. Possim etiam ad naturam substantiarum tam materialium, quam immaterialium prouocare, exque ea ostendere, non posse mutuam eas inter actionem obtinere, ni in distans perficiatur; sed metuo, ne hoc quibusdam nimis metaphysicum videatur, aque scripto medico alienum -. Verum dices forte: non perspici modum, quo actio in distans absoluatur; explicari itaque hic obscurum, quod dicunt, per aequa obscurum - . At-

\*) WHYTT l. c. pag. 30. seqq.

\*\*) HALLER *Elem. Phys.* Tom. IV. pag. 201.

\*\*\*) Celeb. MEIER philos. Betracht. über die Chrsitl. Relig. IV. Stück pag. 116 seqq.

Arqui fateor quidem, me rationem huius actionis omnino ignorare; quod tamen ideo, quam dedi, explicatio vituperanda sit, aequo minus perspicio. Namque 1) quaestio erat haec: quomodo mutua actio sympatheticorum nervorum, a se invicem distitorum, sequitur nulla ratione contingentium, conciliari queat cum thesi, qua asseritur, actionem in distans fieri non posse, licet ista actio nervorum mutua ab his solis, nullo interiecto medio, oriatur (conf. §. IV. cum praef. §.)? Atque haec nunc mihi satis soluta esse videtur, negato illo, quod omnem peperit difficultatem; 2) tenentur nec Medici, nec Physici ad ultima redire cognitionis humanae principia; 3) tacite ponere videris, mutuam corporum, sese contingentium, actionem melius intelligi, quam actionem in distans. Quod vero egregie est falsum. Quod non difficultates parit Physicis propagatio motus! Merentur hic legi *Illustr. EBERHARDI Vermischte Abhandlungen aus der Naturlehre, Arzngelahrth. und Moral.* II. Theil. pag. 176 seq.

### §. XI.

*Quare quidam tantum nervi a consensu afficiantur.*

Omissis iam illis, quae ea de re ex superioribus (§§. V–VIII.) constare possunt, momentis: duo tantum consideranda superesse videntur. Atque primo quidem vicinitas nervorum. Quando enim nervi, ob factam materiae volatilis absorptionem, eiusmodi consensum patrant (§. X.): loca vicina sine dubio facilius afficiantur necesse erit. Quodsi etiam actione in distans ea sympathia absoluatur (§§. cirt.): cum finito cuilibet agenti limitata tantum actiuitatis sphaera tribui queat, ea, quae magis vicina sunt, in eandem eo facilius cadunt \*). Dein intimior nervorum natura, quae sibi similes dissimilesque sunt, attentionem meretur. Quamuis enim cuilibet nervo sensibilitatem tribuere nos oporteat: attamen ea quodammodo diversa esse deprehenditur, cum notum sit, quandoque ab uno eodemque, nec gradu diverso, stimulo varia nervi

\*). Vid. exempla collecta a Rob. WHYTT l. c. pag. 56. 57.

ui ratione affici \*). Quodsi itaque stimulum, corpori inhærentem, finges: poterit is quosdam neruos intactos relinquere, eos tantum afficiens, quos inter non discrepans obtinet sensibilitas \*\*). Numquid hinc forsitan patet, quare, vno oculo affecto, alterum etiam afficiatur \*\*\*)?

### §. XII.

*Quare intacti quandoque maneant nerui intermedii?*

Aposite dico: *quandoque*. Quod enim nerui nonnunquam intermedii sympatheticam conditionem recipiant, docent varia exempla, aura imprimis, quam dicunt, epileptica \*\*\*\*). Praedicti autem phænomeni ratio later 1) in eo, quod §. ant. n. 2. dixi. 2) in sensus, non nimis excedentis, generali natura. Quando sensatio v. g. in cute oritur: motus in neruis a cute vsque ad commune sensorium propagari debet, atque nihilominus tamen nerui intermedii, seu fibrillæ potius nerueæ, quae cutim inter sunt & sensorium commune, affici non videntur. Celeritas sine dubio, qua is, ad sensorium commune, defertur motus, huius rei in se rationem continet, iuncto præ-primis eo momento, quod motus neruorum, quando excitatur tactus, maximus sit in cute, anima hinc eum potius, quam minorem intermedium, attendat, atque sensationem ideo ad cutim referat. Cum ergo, in quavis sensatione, non nimis excedente, nerui intermedii, licet vere mutentur, mutari tamen non videantur: id quidem in actione non minus neruorum sympatheticorum fieri potest; 3) nerui actionem in distans exercere videntur (§. X), neque inter se sunt connexi (§. IV). Plures huius phænomeni rationes §§. V seqq. suppeditare possunt.

### §. XIII.

\*<sup>y</sup>) IDEM l. m. c. pag. 84. seqq.

\*\*) Adsentitur WHYTT huic theoriae; sed locus excidit.

\*\*\*) WHYTT l. c. pag. 13.

\*\*\*\*) HALLER *Elem. Physiol.* Tom. IV. pag. 334 seqq.

## §. XIII.

*Num omnis neruorum sympathia, mediante demum sensorio communii, fiat?*

Negari nequit, dari quodam neruorum consensus, qui, mediante demum sensorio communii, contingunt. Quando enim aut anima (§. V.) cooperatur, aut vniuersum systema neruorum in consensum rapitur, prout id in epilepsia sympathica accidit: sensorii communis concursus extra omnem dubitationis aleam positus esse videtur. Concedi forsitan debet, plerumque sensorium commune, iubente id vniuersalis sympathiae lege, affici, quando sympathici excluduntur effectus. Vix ramen admitti potest, opus esse, vt, in quavis neruorum sympathia, sensorium commune proximior statuatur consensus caussa. Vidimus, vasa quandoque sanguifera hunc, qui neruis tribuitur, consensum efficere (§. VI.); resorptionem volatilis materiae non raro eius rationem in se continere (§. X.); posse etiam eum, actione neruorum in distans, absolui (§. cit.). Quibus in casibus cum actio sensorii communis non sit necessario respicienda: sequitur, posse quandoque neruorum sympathiam, sine communis sensorii concursu atque intercessione, contingere. Neque videntur mihi ea quae Rob. WHYTT vrget, argumenta\*), contrarium satis aperte suadere.

## §. XIV.

*Brevis dictorum repetitio.*

Quando huc usque dicta perpendo: me meo satisfecisse proposito arbitror. Liceat mihi, vt id pateat, quaestiones proponere, quae, in considerando partium consensu, qui neruis debetur, moueri possunt, addita simul breui ad eas responsione. Quaeri ergo potest:

## I. Quae

\* ) l. c. pag. 38.

D

I. *Quae sint huius consensus media? Anima, vasa sanguifera, nerui ipsi (§§. V. VI. X.).*

II. *Quid respondendum ad eas, quas in superioribus commemo- rauimus, difficultates (§. IV.)? Vid. §§. X. XI. XIII.*

III. *Quare modo haec, modo illa aut pars afficiatur, aut con- ditio sympathica enascatur?* Confer. §§. V. seqq. Prae- terea vero considerari hic debet 1) mutatio, orta in ner- uis, a quibus sympathia proficiscitur; 2) eius gradus; 3) natura & functio illius nerui, qui in consensum tra- hitur; 4) status neruorum, aliunde affectorum \*).

### §. XV.

#### *E p i l o g u s.*

Quod autem in omni fere theoria (sed missis leuibus istis propositionibus, de quibus sanae rationis homo non dubitat, quae-

\* Exempla facile haec illustrabunt. Quando nervus, a qua sympathicae conditions proficiscuntur, dolore afficitur: conditions, exinde orin- dae, diuersae erunt ab his, quae ab imminuta eius actione enascuntur. Ergo huius mutationis ratio habenda. Quidsi porro dolor unius nerui sympathici magnus est: aliae exinde produci possunt conditio- nes, quam si parvus fuerit. Hinc gradus istius mutationis attenden- dus. Si nerui optici porro per consensum afficiantur: alii nasci hinc effectus possunt, quam si aurium, linguae, narum, cutis nerui pa- tiantur. Quare functio nerui, in consensum tractat, recipienda. De- munus tussis, singultus, sternutatio, si a sympathia pendent, aut tol- li, aut praecaueri possunt, quando alia sensatio grauior excitatur. Atque hinc dixi, statum aliunde affectorum neruorum hic in confide- rationem venire.

quaeque, vel ipsa sua levitate, vilioris & tardioris ingenii hominibus placent) contingit, eam scilicet, firmissimis quamvis argumentis comprobatam, paulo tamē difficiliorē ad casus speciales applicationem admittere: id ipsum, si qua vñquam in re, certe in explicando, quem dixi, consensu verum esse apprehenditur. Cauendum ergo, ne existimemus, aut falsa esse, aut insufficientia, quae huc usque dicta sunt, quando, his licet applicatis, singulares quidam istius consensus casus non possunt exinde satis illuminari.



PRAE-

PRAESTANTISSIMO DOMINO CANDIDATO  
**CASPARO LUDOVICO CURTIO**  
 OMNIGENAM PRECATVR FELICITATEM  
 P R A E S E S.

*N*on inanis labor, nec mera speculatio est, cum sollicite perquirere consensum partium corporis humani, ex quo multa symptoma explicanda veniunt. Satis enim constat, nobilissimum sistema nerorum maximam machinae animali conciliare perfectionem, dum admirabilem partium consensem, consideratione dignissimum, efficit. Gratulor TIBI, CANDIDATE HONORATISSIME, felicem huius thematis electionem, gratulor vero TIBI adhuc magis studium medicum cum laude ad finem peractum. Quum te per aliquot annorum interuallum auditore perindustria usus sim et sub eodem tecto quotidiana fere consuetudo fuerit, non possum sane quin TIBI non solum diligentiae sed honestae quoque vitae testis sim. Ex animo itaque TIBI decretos ex auctoritate Facultatis medicae honores in arte salutari summos gratulor. DEVM adoro, ut suis omnia secundet & prospera reddat auspiciis, quae in facienda medicina in posterum conaberis. Dabam Halae die 30 Maii 1770.

Ua 4711



Slb.

3



an 22  
23

TENTAMEN IN AVGVRALE  
DE  
EXPLICANDO  
CONSENSV PARTIVM  
QVI NERVIS DEBET V.R.

QVOD CONSENSV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
PRAE S I D E

PRORECTOR FRIDERICIANAE MAGNIFICO  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D O M I N O  
FRIDERICO CHRISTIANO IVNCKERO

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORE ET PROFESS. PVBL. ORD.  
FACVLATATIS MEDICAЕ H. T. DECANO,  
PAEDAGOGII REGII AC ORPHANOTROPHEI HALENSIS MEDICO  
PRACTICO CONSTITUTO

P R O  
G R A D V      D O C T O R I S  
SOLEMNITER CONSEQUENDO

D I E   I V .   M A I I   C I O I O   C ' L X X .

H . L . Q . C .  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR

C A S P A R V S      L V D O V I C V S      C V R T I V S  
L I P P I A - G V E S T P H A L V S .

HALAE

L I T T E R I S   H E N D E L I A N I S .

B.I.G.

Black

White

Magenta

Red

Yellow

Cyan

Blue

Inches  
Centimetres

1    2    3    4    5    6    7    8    9    10    11    12    13    14    15    16    17    18    19    20

FarbKarte #13

